

competat loco Religioso favore Religionis & honestatis, frustra dicitur id pretio redimendum.

TITULUS XXXIII

De Privilegiis, & Excessibus Privilegiorum.

Materia hujus Rubricæ scitu utilis est Regularibus.

Elebris est præfens Titulus, scitaque utilissimus, præsertim Religiosis Mendicantibus dicitur Privilegia Sede Apostolica habentibus: unde ut melius explicetur, simulque ob sui prolixitatem, expedit plures ponere Paragraphos.

§. I.

De Natura, & Divisione Privilegiorum.

SUMMARIUM.

- 1 Privilegium minus propriè.
- 2 Et propriè loquendo quid?
- 3 Dicitur Lex privata, & quare?
- 4 Quæ de Jure competunt, Privilegia propriè non sunt.
- 5 Privilegium variis nominibus in Jure venit: & quibus?
- 6 Privilegium aliud est contra, aliud præter Jus.
- 7 Quorum illud est propriè delictum Privilegium; istud verò minus propriè, & potius beneficium.
- 8 Privilegium contra Jus est, strictè interpretationis, præter Jus verò late.
- 9 Privilegium aliud est in corpore Juris clausum, Aliud extra Corpus Juris.
- 10 In quo differant?
- 11 Aliud est reale, aliud personale.
- 12 Differentia inter utrumque.
- 13 Aliud mixtum.
- 14 Aliud certo personarum generi concessum.
- 15 In dubio an Privilegium personale, aut reale sit, quid Javis?
- 16 Rursus aliud Privilegium est merè gratiosum, aliud remuneratorium.
- 17 Aliud perpetuum, aliud temporale.
- 18 Quid sit Privilegium purum, & conventionale?
- 19 Per se, & ad instar concessum.
- 20 Communitatis, & privatorum?
- 21 Privilegio Communitatis privatus renuntiare nequit: bene verò Privilegio privatorum.
- 22 Privilegium proprio motu, & ad preces concessum?
- 23 Privilegium vite vocis oraculo, & literis concessum quid?

Quæritur I. Quid sit Privilegium? Resp. I. Quamvis Privilegium quandoque accipitur pro Rescripto, seu Instrumento scripto, in quo gratia, seu beneficium Principis continetur, seu conceditur, arg. c. Cum dil. cl. de Confirm. util. & inutil. ex c. Ex parte h. i. Communiter tamen & magis propriè Privilegium accipitur, pro ipsomet jure, beneficio, seu gratiâ cuiuspiam à Principe concessâ. Hinc propriè loquendo de Privilegio,

Resp. II. Privilegium dicitur Lex privata contra, vel præter Jus aliquid concedens: c. Privilegia dist. 3. & c. Abbat. de Verb. significat. ibi: Cum Privilegium sit lex privata, nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgeret. Dicitur autem Lex,

non quòd obligationem inducat respectu ejus; cui datum est (nam Privilegium est lex privata, non utranque sed qua cuiuspiam jus, beneficium, vel gratiâ à Principe conceditur, nemo autem beneficium sibi concessio uti cogitur, arg. l. Invito. ff. de Reg. Jur. ibi: Invito beneficium non datur) sed quoad alios, quibus præcipitur, ut illud observari faciant; vel prohibetur, ne impediatur. Pirhing. h. t. n. 2.

Et additur privata: quia Privilegium conceditur ob bonum privatum Privilegiati, certè v. g. personæ, particularis alicujus Collegii, Universitatis, Religionis, Monasterii, Ecclesiæ, Civitatis &c. Cui ex Privilegio, favore, & gratiâ datur facultas aliquid agendi, vel omittendi, vel percipiendi contra, vel præter legem, aut Jus commune: dum eontrâ lex communis respiciat, & feratur ob bonum totius Communitatis.

Dicitur insuper contra, vel præter Jus; quia quòd Jure communi competit, frustra per Privilegium impetratur. arg. l. i. c. de Theauris. lib. 10. ubi: Superfluum est hoc precibus postulare quod jam lege permixtum est. Interdum tamen talia à Principe conceduntur ad majorem confirmationem & securitatem, ut sit c. Quia in causa. de Procurat. &c. Bist. Christus. §. fin. de Jurejurand. Quæ tamen non sunt propriè dicta Privilegia, sed potius declarationes Juris communis, vel naturalis.

Potèd Privilegium varia habet nomina in Jure, quæ quasi synonyma sunt. Quandoque enim etiam vocatur Jus singulare, l. 16. ff. de Legib. subinde Indulgentia, c. Dudum. 31. h. t. Item Exceptio, l. Ex præstatione. 7. c. de Velligal. subinde Specialis largitas & prærogativa, ut l. fin. C. de fruct. & lit. expens. subinde Concessio, l. 1. prim. ff. de Testament. milit. item Constitutio personalis, §. 6. Insti. de J. N. G. & C. Item Lex propria, l. Municipalem. 21. §. fin. ff. ad Municip. Item Rescriptum, Diploma, Indultum, Principale, Favor, Gratia, Immunitas, &c. Azorius Insti. Mor. lib. 5. cap. 22. q. 1.

Quæritur II. Quotplex sit Privilegium? Resp. cum communi Doctorum, varias esse Privilegiorum divisiones. Et quidem primò aliud Privilegium est contra Jus, ut Exceptio à solvendis Decimis, vel à jurisdictione Ordinarii, & hujusmodi, quæ conceduntur contra Jus commune. Aliud præter Jus, five (ut alii loquuntur) ultra Jus: v. g. potestas absolvendi à Reservatis, vel dispensandi, & hujusmodi, quando videlicet ipsamet materia, seu actus privilegii non est quidem in se Jure prohibitus, sed tamen non nisi certis personis concessus.

Differunt primò; quia Privilegium contra Jus dicitur propriè Privilegium, arg. l. Jus singulare. ff. de Legib. ibi: Jus singulare est, quòd contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem, auctoritate custodientium introducitur. Nam per Jus singulare intelligitur Privilegium, quale loc. cit. dicitur esse contra tenorem rationis, id est, contra rationem Juris communis seu legis, prout ex antecedentibus verbis liquet. Econtra Privilegium præter Jus meretur quidem nomen Privilegii (cùm & ipsi competat definitio Privilegii ut sic, cò quòd sit lex privata, & favorabilis ex speciali gratiâ Principis concessa) non tamen adeò strictè sumitur, ob rationem prædictam ex textu Juris desumptam, ac potius dicitur beneficium Principis. Beneficium enim strictè sumitur pro gratiâ concessâ à Principe præter Jus, ut notat Abbas in Rubrica de Rescript.

Differunt ulterùs, quia Privilegium contra Jus plerumque est strictè interpretationis, arg. c. Porro, & c. Sanè. de Privil. g. Alia verò Privilegia præter Jus, cùm sint merè gratiæ ac beneficia Principis, latè interpretari debent, prout fufius diximus

diximus Lib. I. Tit. III. de Rescriptis. num. 130.

Secundò, Privilegium aliud est clausum in Corpore Juris; aliud extra Corpus Juris, seu datum per speciale Rescriptum Principis. Privilegium clausum in Corpore Juris dicitur, quòd certis rebus vel personis concessum contra vel præter alias leges, Corpori Juris communis insertum est: ut sunt quam plura privilegia Ecclesiarum ac personarum Ecclesiasticarum, pupillorum, studiorum, militum, ac hujusmodi, quæ passim habentur in utroque Jure. Privilegium extra Jus dicitur, quòd per speciale Rescriptum (seu per speciales litteras Principis) cuiuspiam persone, loco, seu Communitati concessum est, & necdum Juri communi insertum.

Differunt isthæc Privilegia quoad effectum: nam Privilegium in Corpore Juris clausum non debet Juxta ignorare, & si quid contra illud præcipitur, non tenetur Privilegiatus obtemperare, arg. c. Cùm ad quorundam de Excessib. Prelator. Econtra Privilegia extra Corpus Juris, cùm sint facti, potest Juxta ignorare, & si quid contra Privilegium mandet, vel aliquem contra tale Privilegium specialiter extra Corpus Juris concessum ciet, tenetur Privilegiatus saltem pro reverentia Judicis comparere, & deum Privilegium ostendere, eique vel ipsius Deputato in loco congruo ac securo ad legendam integraliter exhibere, prout habetur c. cùm persona. ff. de Judiciis, ibi: In Jus vocati veniant privilegia sua allegaturi. Alias differentias adducit Ludovicus Engel h. t. n. 2. sed brevitate gratiâ omittimus.

Tertiò, Privilegium aliud est reale, aliud personale, aliud mixtum. Privilegium reale dicitur, quòd proximè & directè confertur rei, loco, muneris, dignitati (v. g. Prædio, Ecclesiæ, Monasterio, Prælaturo, causæ &c.) in consequentiam verò personis, quæ talem rem, locum, officium, vel causam habent. Privilegium personale est, quòd proximè & directè confertur personæ sine contemplatione rei arg. c. Mandata de Præsumpt. ibi: Quas non loco tribuimus, sed persone &c. & alibi.

Differunt autem plurimùm: siquidem Privilegium reale cùm coheret rei, transit ad quoscunque successores, & possessores: Privilegium autem personale personam sequitur, & extinguitur cum persona ut loquitur Reg. 7. Jur. in 6. Concordat l. Privilegia. ff. de Reg. Jur. ibi: Privilegia quædam causæ sunt, quædam persone: & idè quædam ad heredes transmittuntur, quæ causæ sunt; quæ persone sunt ad heredes non transunt. Adde l. In omnibus. ff. eod. ubi dicitur: In Omnibus causis id observatur, ut ubi persone conditio locum facit beneficio, ubi deficiente cõ beneficium quoque deficiat. Et hujusmodi Privilegium dicitur Privilegium singulariter personale, eò quòd uni tantum personæ per se & directè concedatur.

Datur etiam Privilegium mixtum, hoc est, partim personale, partim reale, eò quòd multùm de natura realium participet. Talia Privilegia sunt, quæ conceduntur certo Corpori aut Collegio personarum (& idè à quibusdam Privilegia corporalia nuncupantur) atque hæc non tantùm illis competunt, qui deficiò in tali Corpore vel Collegio vivunt, sed etiam transmittuntur ad eorum Successores.

Huc spectat Privilegia, quæ dicuntur communiter personalia, & certo personarum generi conceduntur. Tale imprimis est Privilegium restitutionis in integrum concessum Minoribus (id est, illis qui ante 25. annum completum in aliquo contractu graviter læsi sunt) quòd etiam ad heredes transit. l. Non solum. ff. de Restitut. in int. gr. Tale est etiam Privilegium S. C. Vellejani concessum

foeminis, ne ex fidejussione obligentur. Item Privilegium S. C. Macedoniani concessum filisfamilias, ne ex mutuo sine consensu patris accepto obligentur. Adde Privilegia Clericorum, Studiorum, Militum, & hujusmodi.

Cæterùm in dubio, an Privilegium aliquod sit merè personale, vel reale, ex materia, causâ, & tenore illius colligendum est. Quòd si exinde satis cognosci non potest, videre oportet, an Privilegium hujusmodi sit merum beneficium & gratiâ, nec Juri communi, nec privato contrarium vel odiosum; illud enim, seu merè beneficium, in dubio præsumitur reale, utpote quòd tanquam beneficium Principis permanere oportet, c. Decet. 16. de Reg. Jur. in 6. & l. fin. ff. de Constitut. Princip. Illud verò, seu odiosum, utpote à Jure exorbitans, personale, & consequenter cum persona extingui censetur arg. c. Quæ à Jure, 28. de Reg. Jur. in 6. Dominatus Tom. 1. p. 1. tr. 4. q. 3. nu. 2. Suarez lib. 8. de Legib. cap. 3. n. 18. Palao Tr. 3. Disp. 4. pun. 2. §. 1. n. 16.

Quartò, Privilegia alia sunt merè gratiosa, alia remuneratoria. Ex his Privilegia merè gratiosa, seu quæ ex mera concedentis gratiâ, non intuitu meritum, seu in illorum compensationem proficiuntur, habent tacitam conditionem, ut tandiù durent, quàm diu Principi, vel ejus Successori placeant. Privilegia verò remuneratoria sunt, quæ intuitu meritum, v. g. laborum, molestiarum, fidelitatis, expensarum &c. in bello, in conversione Infidelium, Hæreticorum, Rebellium, Schismatis &c. exhibitorum, aut exaltatorum, tanquam in præmium, & quandam remunerationem, seu compensationem dantur: quæ Privilegia remuneratoria etsi in dubio censentur personalia, arg. l. i. ff. de Constitut. Princip. ibi: Quæ Princeps alicui ob merita indultis, personam non egrediuntur; tamen etiam realia esse possunt, adeò ut propter merita personæ unius Privilegium toti alicui Familiæ, Religioni, Provinciæ concedi valeat, & nonnunquam soleat teste experientia.

Quintò, Privilegium, aliud est perpetuum, aliud temporale. Perpetuum est, quòd vel adhæret rei de se perpetuè, vel conceditur absque limitatione temporis. Et dicitur perpetuum, non quòd amitti non possit, sed quia de se durat, donec revocetur, aut alia de causâ amittatur. Privilegium temporale est, quòd concessum est pro determinato tempore, v. g. ad decennium, vel ad dies vitæ personæ privilegiate, ut est Privilegium singulariter personale. Huc spectat Privilegium datum sub conditione, quæ lapsu temporis finitur: item Privilegium concessum à Principe, donec decefferit, vel sub clausula, usque ad beneplacitum meum; nam tale exprimit morte concedentis, utpote quâ omnino extinguitur ejus beneplacitum, c. Si gratiosè de Rescriptis. in 6. Secus est, si gratiâ vel privilegium concedatur sub clausula, usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum: tunc enim, quia Sedes non moritur, durabit perpetuò, nisi à Successore revocetur, prout loc. cit. expressè subjungitur.

Sextò, Privilegium aliud est purum, aliud conventionale. Illud est, quòd sine aliqua conventionte, & reciproca obligatione conceditur. Illud verò, quòd interveniente hujusmodi conventionte, & obligatione ad aliquod dandum aut faciendum &c. sicque quodammodo emi, aut per contractum onerosum acquiri censetur, Suarez loc. cit. q. 4. num. 9. Palao loc. cit. §. 3. n. 2.

Septimò, Privilegium aliud est cuiuspiam per se primò specialiter concessum, aliud concessum ad instar. Illud est, quòd cuiuspiam conceditur sine ordine ac respectu privilegii prius alteri concessi, Illud verò, quòd conceditur ad instar privilegii prius,

privis alteri concessi, id est, eo modo, ac forma, sub qua illud alteri convenit: quali a Privilegio ad instar plura conveniunt Regularibus communicationem privilegiorum habentibus, de qua fufius §. 3.

21 *Obligatio, Privilegium aliud est commune, seu Communitatis, aliud privatum, seu Privatorum. Illud est, quod primario & per se respicit bonum Communitatis, cui concessum est, etiam redundet in Membra ejus. Cujusmodi sunt Privilegia Fori & Canonis, v. g. toti statui Clericali concessa. Privatum, seu singulare est, quod primario ac per se respicit bonum personarum in particulari, etiam mediate etiam redundet in bonum commune. Hujusmodi Privilegium est, v. g. beneficium restitutionis in integrum Minoribus concessum.*

22 *Differt autem istud Privilegium ab illo, quod Privilegio communi, seu Communitatis, tanquam favori communi & publico, privatus nequeat renuntiare, arg. c. Si diligenti. 12. de Foro competent. & l. Jus publicum. ff. de Adlis; consequenter Clericum etiam consentientem percussioni incurrat Excommunicationem, can. Si quis suadente. cau. 17. q. 4. Privato autem renuntiare regulariter quivis potest, c. Si de terra. 6. h. t. ibi: Cum liberum sit unicuique suo Juri renuntiare, cum Concordantis, nisi talis renuntio cederet in prejudicium tertii.*

23 *Nono. Aliud Privilegium est motu proprio, aliud ad preces, seu supplicationem Privilegiati concessum. Illud est, & dicitur, quando Diploma Privilegii habet insertam clausulam Motu proprio, etiam si forsan ad prexiam supplicationem sit concessum, c. Si motu. 23. de prebend. in 6. Istud vero est, quando littere Privilegii talem clausulam non habent. Ceterum qualis sit differentia inter hanc Privilegia & quid operetur clausula Motu proprio, vide Lib. I. Tit. III. a num. 202.*

24 *Decimo tandem, Privilegium aliud est vive vocis oraculo, aliud literis, vel Rescripto Principis concessum. Illud est quod Princeps ore tendens duntaxat, sine scriptura concedit, vel motu proprio, vel ad instantiam partis. Istud vero, quod in scriptis datur. Clem. 2. §. At deinde. v. Nos etenim, de Sepult. ibi: Univerfa Privilegia verbo aut scripto concessa. Ceterum Privilegia vive vocis oraculo plura olim concessere Summi Pontifices, uti videre est apud Donatum p. 1. Tom. I. tr. 45. Ubi expressè agit de vive vocis oraculo.*

§. II.

De Concessione, & Acquisitione Privilegiorum; ubi etiam de tempore, quo valere incipiunt.

S U M M A R I U M.

- 25 Legem contra Jus illi soli condere possunt, qui legem condere valent.
- 26 Doctrina practica.
- 27 Non tantum Subditis, sed etiam aliis concedi potest Privilegium.
- 28 Ad cuius substantiam non requiritur scriptura.
- 29 Bene tamen ad ejus probationem.
- 30 De stylo Curie etiam requiritur Scriptura saltem pro Foro externo.
- 31 Num autem etiam pro interno controversa est.
- 32 Sunt quedam, ad quorum valorem necessario requiritur scriptura, veluti facultas ingrediendi Clausuram Monialium.
- 33 Item collatio, confirmatio, & unio Beneficiorum.
- 34 Ac facultas non residendi in Beneficio Curato.

- 35 Ad hoc ut Privilegium licite concedatur, requiritur justa causa.
- 36 Non item ut valide concedatur.
- 37 Solvitur instantia.
- 38 Privilegium acquiritur potest per preces.
- 39 Prescriptione, & consuetudine: Et non sequitur.
- 40 Acquisibilia Privilegio, sunt acquisibilia consuetudine.
- 41 Acquiruntur etiam per communicationem. Remissive.
- 42 Privilegium motu proprio concessum non statim suum effectum a die concessionis habet: Et non sequitur.
- 44 Probatur ex Jure.
- 45 Limitatur.
- 46 Privilegium ad precedentes preces concessum statim a die concessionis valet.
- 47 Probatur rationibus.
- 48 Inferuntur doctrina practica.
- 49 Conciliantur textus Juris: Et non sequitur.
- 51 Beneficium collatio etiam absentis sicut revocari amplius nequit: Et cur?
- 52 Solvuntur alia instantie ex Jure.

Quæritur I. Quis possit concedere Privilegium? Resp. Privilegium præsertim contra Jus omnis & solus ille potest concedere, qui non test legem condere. Ratio est: Tum quia Privilegium hujusmodi est lex privata; ergo requiritur in conferente potestatem quandam legislativam: Tum quia per Privilegium contra Jus eximitur quis ab obligatione Juris, & legis communis, quod nemo facere potest, qui legem condere non valet. Glossa communiter recepta in can. Quod autem. cau. 25. q. 2.

Hinc Potestates publicæ, sive Ecclesiasticæ, sive sæculares, tantum in iis Privilegia ab obligatione legis communis quæpiam eximentia concedere possunt, de quibus legem seu statuta condere, seu disponere valent, v. g. Papa extra ditionem suam temporalem per se ac directè potest dare Privilegia tam in spiritalibus, quam in iis, quæ sunt connexa spiritalibus, ut sunt decretæ &c. Prælati Papæ inferiores possunt concedere Privilegia, quæ eximunt à legibus seu statutis à se conditis, vel à suo Antecessore. Similiter Imperator, & alii supremi Principes in temporalibus tantum Privilegia dare possunt; quia Laici in spiritalibus se immiscere non possunt. Can. Bene quidem. dist. 96.

Quæritur II. Quibus, & quo modo, quæve de causa possit concedi Privilegium? Resp. I. Privilegium non solum iis, qui verè & absolutè subditi, sunt, sed etiam extraneis concedi potest, dum modò materia Privilegii sit sub Privilegiantis jurisdictione. Ita communis Doctorum, & patet inductione. Sic quippe Imperatores multa Privilegia, partim in Jure communi, partim per specialia Diplomata, concesserunt Ecclesiis ac personis Ecclesiasticis, quamvis non sint sub jurisdictione sæcularium Principum, arg. c. Quamquam. de Censibus. in 6. Sic etiam Principes alicui extraneo concedere potest Privilegium, ut in suo Territorio sit liber à præstantis vestigialibus, possit conscribere milites &c.

Resp. II. Regulariter loquendo, ad substantiam Privilegii non requiritur scriptura, sed etiam ore tenus live vive vocis oraculo factum subsistit. Ita certa & communis Doctorum, arg. c. Inflationes. 25. q. 2. & Extravag. Esi dominici de Penitent. & remiss. ibi: Considerans, quod plerumque contingit, suam Sanctitatem hujusmodi facultatis etiam oraculo vive vocis concedere &c. Accedit ratio, quia nullo Jure requiritur Scriptura ad validitatem seu substantiam Privilegii; in d. sufficit voluntas Principis sufficienter declarata.

Hoc tamen non obstante quandoque requiritur Scriptura

Scriptura ad probationem Privilegii, ejusque firmitatem, arg. c. Porro h. t. ubi dicitur, impedienda esse Privilegia, ut eorum tenor fervetur. Concordat c. Contra morem. dist. 100. ibi: Aut mos omnium est servandus, aut si tuæ Ecclesie aliquid specialiter dicitur esse concessum, à vobis oportet ostendi. Et infra: Oportet aut generalitatis usum non scripto, sequi, aut ex scriptis Privilegii se tueri.

30 *Insuper de stylo Curie Romanæ, & juxta Regulas Cancellariæ Apostolicæ, Gratia ad expeditionem Litterarum dicuntur informes, & nulli suffragantur dispensationes, antequam super iis Litteræ Apostolicæ sint concessæ, non obstante, quòd summus Pontifex in signatura ad libellum Supplicantis per verbum Fiat gratiam concesserit. Ita enim quilibet Pontifex declarat in Reg. 27. Cancellariæ Apostolicæ, ibi: Item, cum ante concessionem Litterarum gratia Apostolicæ sint informes: statuit, quòd Judices quicumque non juxta supplicationem signatarum &c. Sed juxta Litterarum desuper confectorum tenores & formas debeant judicare. Et si Litteræ minus expresse reperiantur, & illorum, quorum interest, instantiam, ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt, per ejus Officiales ad formas debitas reducenda. Hæc ibi. Et concordat Reg. 52. quæ inscribitur, Nulli suffragetur dispensatio nisi litteris concessis. Nec immerito, quia multa quandoque in Supplicationibus petuntur, quæ omnia concedere non intendit Pontifex, ac proinde quamquam ab ipso concessa fuerint, ex Litteris desuper expeditis erit dispiciendum.*

31 *Et hæc quidem loquendo pro Foro externo certa sunt, utrum autem italem pro Foro conscientie liceat uti dispensatione vel gratia ante Litterarum expeditionem, variant Doctores. Negant non pauci ob tenorem fati urgentem Regularum Cancellariæ proximè relaturum. Affirmativum nihilo minus non improbabilem censet Engel h. t. n. 8. post Rebussum, Gutierrez, Laymanum, & alios: si quidem gratia quoad substantiam (licet non quoad omnes qualitates, censetur perfecta per solam signaturam, ed præsertim, quia scriptura non est de substantia Privilegii, ut dicitur n. 21. cum communi. Et quidem quòd gratia Papalis perficiatur per solam signaturam, etiam ante expeditionem Bullæ unius, quæ requiritur solum ad probationem, pariter fatetur Wagnerbeck ad Reg. 10. Cancellariæ & Barbosa lib. 3. Juris Ecclesiastici. univers. cap. 13. n. 199. citans multos alios.*

32 *Dicitur autem notanter in Conclusione num. 28. postea, Regulariter loquendo, quia sunt nonnulla, quæ ex speciali dispositione Juris de substantia requirunt Scripturam: veluti primò, facultas ingrediendi Clausuram Monialium nulla est, nisi ab Episcopo vel alio legitimo Superiore in Scriptis concedatur, Concil. Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 5. ibi: Ingredi intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis &c. Sextus, v. Laticis fuerint sine Episcopi, vel Superioris licentiâ in Scriptis obtenta sub Excommunicationis pena ipso facto incurrendâ, prout amplius dictum Lib. III. Tit. XXXV. a n. 61.*

33 *Secundò ad substantiam & valorem Apostolicæ Collationis, Confirmationis, & unionis Beneficiorum requiritur Scriptura, ita ut ante Litterarum expeditionem Beneficiatus censetur intrusus, & fructus non faciat suos, Extravag. Injunctæ. 1. Inter communes, de Election.*

34 *Tertiò Facultas non residendi in Beneficio Curato ad sui substantiam requirit Scripturam vi Concilii Trident. Sess. 23. de Reformat. cap. 1.*

35 *Resp. III. Ad concessionem Privilegii, ut sit licita, requiritur justa causa; non autem ad hoc, ut Reiffenjuel Jus Can. Tom. V.*

fit valida. Ita Pirhing h. t. n. 12. Prima pars patet; quia Justitia distributiva & legalis requirit, ut nullus abique rationabili causa eximat à Lege communi; consequenter nec abique ea detur Privilegium contra Nos. Neque præter Jus; quia hujus sine causa facta concessio læperet prodigalitate, & acceptionem personarum, induceretque improportionem inter membra Communitatis. Suarez lib. 8. de Legib. cap. 21. nu. 2. Palao Tr. 3. Disp. 4. pun. 5. num. 1.

36 *Altera verò pars ex eo fradetur; quia valor Privilegiorum pendet à sola voluntate concedentis Privilegium: nam sicut is abique ulla alia causa potest ejusmodi Legem valide tollere ex toto, ita & ex parte, unam vel aliam personam per speciale Privilegium ab ejus obligatione eximendo, saltem valide.*

Nec dicas, Indulgentias sine causa concessas esse invalidas, juxta ferè communem Doctorum: ergo etiam Privilegium. Resp. enim negando confect. & paritatem. Disparitas est, quòd Papa Indulgentiam concedat non tantum ut Dominus, sed ut Dispensator meritum Christi, qui non censetur in horum dispensationem nisi salubrem & rationabilem. Extravag. Utinenti. 2. de Penit. & remiss.

38 *Quæritur III. Quibus modis acquiri valeant Privilegia? Resp. Tribus præcipue, videlicet I. Ex concessione Principis, idque vel sine precibus, seu supplicatione ex ultranea ipsius liberalitate, vel ad preces & instantiam Privilegiati: ubi tamen notandum, quòd per preces impetrans Privilegium nihil debeat exprimere fallum; & contra necessarid exprimere ea omnia, quæ verosimiliter retrahere possent animum Principis à concessione Privilegii, ne sub-vel obreptione obtineatur, uti post Clarum §. fin. q. 59. y. Debes advertere, bene notat Donatus Par. I. Tom. 1. tr. 5. Ceterum quomodo sub- & obreptio committatur, & deprehendatur? quos effectus habeat? & quid Juri de ea? copiosè habes Lib. I. Tit. III. §. VII. & VIII. per totum.*

39 *II. Acquiri potest Prescriptione, seu consuetudine legitime præscripta. Textus, & Doctores in c. Novit. 13. de Judiciis, & c. Super quibusdam de V. S. Siquidem consuetudo legitime præscripta habet vim Privilegii, atque inducit jus ergo. cit. c. Novit. de Judiciis, ubi Privilegium & consuetudo æquiparantur: ibi: Nisi forte Juri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum. Ubi Glossa sic habet: Nota, quòd consuetudo purificatur privilegio, c. Consequens quest. 3. & alibi.*

40 *Sic per consuetudinem legitime præscriptam acquiruntur jurisdictiones, arg. c. Duo simul. de offic. ordinari. & c. Cum contingat. de Foro competent. cum Concordantiis. Item per eam acquiri potest jus exigendi Pedagogia, seu Tributa, c. Super quibusdam de Verbor. signific. Item exemptio à Talibus. de quartis & c. Cum olim de Prescriptis. Taceo alia hujusmodi, quæ tum privilegio, tum consuetudine legitime præscripta acquiri possunt. Fateor tamen cum Fagnano in c. Cum contingat. n. 8. & 11. de Foro competent. ac alios Doctoribus, quòd dentur nonnulla, quæ quidem competere possunt ex Privilegio v. g. Apostolico, non tamen possunt acquiri consuetudine, vel prescriptione; idque procedit præcipue tunc, quando consuetudo est à Jure reprobata, arg. c. Cum instantia. de Censibus, ubi Privilegium Apostolicum potest quem eximere à præstantis procuratoribus, non autem præscripto, aut consuetudo. Similia plura ad propositum vide Lib. I. Tit. IV. a n. 65. ubi explicavimus commune axioma: Acquisita Privilegio, sunt acquisibilia consuetudine.*

- 41. III. Acquiruntur Privilegia per Communicationem, de qua specialiter §. seq. per totum.
- 42. Queritur IV. An Privilegium ritè concessum statim habeat effectum à tempore Collationis, vel potius primùm, quando devenit in notitiam Privilegiati? Celebris est hæc controversia, quam late examinat Sanchez lib. 3. de Matrim. Disp. 36. & tangit Herincx Disp. 4. de Legib. n. 69. Engel h. t. n. 12. & amplius Tit. de Claustr. desponsat. n. 17. Menochius Cent. 2. de Arbitr. Judic. casu 185. n. 30. & seqq. Layman lib. 1. tr. 4. cap. 23. n. 9. & 10. cum aliis; in cujus resolutione multum variant Doctores propter diversos textus Juris inferius assignandos, sed probabiliter sententia utitur distinctione. Unde
- 43. Resp. I. Quando Privilegium motu proprio, & absque ullâ præviâ supplicatione Privilegiati fuit concessum à Principe, regulariter non habebit effectum suum ante notitiam, & acceptationem Privilegiati. Ita Sanchez, Layman, Engel, Herincx II. cc. & communior aliorum. Ratio est; quia Privilegium est quedam donatio, quæ non valet ante acceptationem, arg. l. Absenti ff. de Donation. prout & Beneficium Ecclesiasticum collatio non dat jus in re ante acceptationem, C. Si tibi absenti, de Præbend. in 6.
- 44. Confirmatur id ipsum ex cap. 1. §. Ex parte. De concess. Præbend. in 6. ubi dicitur, quod privilegia vim suam habent non cum ad illos, quibus conceduntur, perveniunt; & consequenter non antea, quando adhuc ignorantur à litteris præstitis, id est, præsentatis, L. ul. C. de Consulibus lib. 12. junctâ Gloââ ibid. Item donatio non confert jus aliquod Donatario ante acceptationem, & consequenter ante notitiam ipsius, cit. l. Absenti. ff. de Donationib. Siquidem invito beneficium non tribuitur, juxta Reg. 7. ff. de Reg. Jur. Omisso similia.
- 45. Dixi tamen notanter n. 43. Regulariter non habebit effectum; Nam excipitur casus, quando Princeps per se, ac motu proprio concedens Privilegium, velit illud statim habere suum effectum à die concessionis; quia hoc non excedit potestatem Principis, cum etiam leges, sive constitutiones possint trahi ad præterita, vel ad pendentia negotia, dummodo nominatim in eis de præteritis caveatur, cap. ult. de Constitut. Accedit, quod nonnulla Privilegia tantum auferant à Privilegiato aliquod onus, v. g. non solvendi pœnam, Decimas, & hujusmodi; ergo non est ratio, cur ea non possint habere suum effectum illico à die primæ concessionis, si id Princeps expressè velit, dummodo ex post facto acceptentur à Privilegiato: sicut à pari Legatum in Testamento relictum secuta ex post facto ejus acceptatione cedit, seu debetur Legatario à die mortis Testatoris, l. Si tibi homo. ff. de Legatis. I. cum Concordantiis.
- 46. Resp. II. Nihilominus Privilegium ad supplicationem ipsius Privilegiati, vel Procuratoris ejus concessum, statim habet effectum à die collationis, neque opus est, ut prius innotescat Privilegiato. Ita supra citati Authores. Ratio est; quia quando Privilegiatus, vel ejus Procurator supplicavit, & Princeps concedit Privilegium, statim adest ejus acceptatio, mutuoque hinc inde consensus, dum ex parte unius adest concessio, & ex parte alterius acceptatio Privilegii, siquæ perfecta habetur donatio.

Confirmatur id ipsum rationibus, quibus generaliter multi Doctores, à Sanchez loc. cit. relati, volunt probare, Privilegium, vel dispensationem prodesse à tempore concessionis etiam ignorantibus. Inprimis enim in Rescriptis gratiæ (quibus annuuntur Privilegia) non attenditur tempus presentationis, sed tempus datæ, ita ut statim tunc, cum gratiæ datæ sunt, habeant effectum suum, & per ea jus parti acquiratur, c. Eam se. de Rescriptis. Deinde Legatum in Testamento relictum acquiritur ignorantibus, dummodo ex post facto acceptetur, seu non respuatur, l. Cum pater. §. Surdo. ff. de Legat. I. ergo idem dicendum de Privilegio, saltem pro quo quis supplicavit per se, aut per suum Procuratorem. Insuper restituito Deportati prodest ignorantibus, arg. l. Eius, qui in provincia. ff. Si certum petatur: atqui restituito Deportati est aliquod Privilegium, vel gratia; ergo. Tandem etiam collatio Beneficii prodest ignorantibus, & quamvis ei non tribuat jus in re; bene tamen jus ad rem, ut passim volunt Doctores; neque enim absque ejus, cui collatum est beneficium, dissensu, sive repudiatione potest Episcopus illud alteri conferre, c. Si tibi absenti, de Præbend. in 6.

Ex datis duabus responsionibus plura inferunt Doctores. Nam inferunt primò cum Sanchez loc. cit. n. 8. & aliis valere Matrimonium, cui simplex Sacerdos post petitam à se mediantibus litteris, aut Procuratore, atque à Parocho, vel Ordinario concessam licentiam assistendi interfuit, quamvis de dicta concessione nondum fuerit certior factus: secus dicendum, si dictam licentiam nullo modo petiverit. Inferunt secundò, valere Absolutionem à Reservatis, vel Excommunicatione, quando licentia absolvendi per internum fuit petita, & à Superiore jam concessa, sicut Nuntius necdum redierit. Taceo similia plura. Nec obstat, quòd usus talis licentiæ ante acceptam certam ejus notitiam videatur illicitus ac temerarius. Resp. enim, quamvis periculosum sit atque illicitum propter defectum certæ cognitionis de concessa sibi facultate tale quid attentare, nihilo minus actum gestum fore validum.

Quæres autem, quomodo textus Juris n. 30. & 49. 33. allegati possint inter se conciliari, cum priores pugnare videantur contra responsionem secundam, & posteriores contra primam. Resp. I. cum Engel part. 3. Manualis Parochorum cap. 5. §. 6. n. 17. & Tit. de Claustr. Desponsat. n. 17. in iis casibus, qui n. 30. referuntur, propter à requiri alterius partis notitiam, quia trahunt secum aliquam ejus reciprocam obligationem: sic enim servus manus missus tenetur ad jus Patronatus, Consul ad onera Consulatus. Donatarius ad Antidota, & evitandam ingratitudinem, cap. ult. de Donation. ac hujusmodi. Econtra tamen fit in casibus n. 33. relatis, simulque in his habetur aliquid speciale favore ultimæ voluntatis, ac liberationis Deportati.

Ad c. si tibi absenti, de Præbend. in 6. pro utraque responsione allegatum, respondeo, etiam Beneficium teneri ad onera Beneficii, & subjectionem Episcopi: unde collatio Beneficii facta ignorantibus merito non tribuit jus in re, ob ejusmodi obligationem annexam, bene tamen jus ad rem, cum hoc non obitante liberè possit dimitti, vel potius non acceptari; post acceptationem vero senl factam, per quam acquiritur jus in re, & quasi dominium ipsius, ut explicat Pirhing, Tit. de Præbend. n. 55. non potest amplius dimitti beneficium sine autoritate & consensu Superioris, c. Admonet. de Renuntiation. cum concordantiis.

Cur autem collatio Beneficii absenti facta amplius

47
48
49
50
51

plius revocari non possit, cum tamen collatio Beneficii censetur esse Donatio quedam, cap. 4. de Donation. ibi: Donationes vero, vel concessiones Ecclesiarum: simulque Donatio ante acceptationem Donatarii liberè possit revocari, L. 2. & l. Absenti ff. de Donation. Cur, inquam, ejusmodi collatio Beneficii amplius revocari non possit ante acceptationem ad instar aliarum Donationum, communiter Doctores hanc assignant rationem, & disparitatem; quia Donatio rei propriæ ex mera liberalitate concedens proficitur. Collatio vero Beneficii Ecclesiastici est casusdam necessitatis; nam Prælati tenentur ex officio conferre beneficia, & collatione semel factâ Collator jam est functus officio suo, & hinc merito variare prohibetur.

Ad id, quod num. 33. dicitur, in litteris, sive in Rescriptis attendi tempus datæ &c. Resp. inde quidem rectè probari alteram responsionem nostram, nihil tamen inferri contra primam: nam hujusmodi Rescripta non dantur, nisi ad aliquos consultationem, relationem, vel supplicationem, siquæ loquendo de litteris gratiæ illico adest acceptatio, seu consensus ex parte Privilegiati. Sed neque textus ex c. 1. de Concess. Præbend. in 6. Urget contra responsionem secundam; quia textus ille est duntaxat allegatus partis, non decisio Juris, ac proinde non convincit; quamvis probabiliter allegeret pro priori responsione n. 30. eò quòd Papa in fine citati textus pro parte illa rescribit, siquæ fundamentam ejus approbare videatur.

§. III.

De Communicatione Privilegiorum.

SUMMARIUM.

- 53. Communicatio quid sit?
- 54. Et quomodo fiat?
- 55. Ordines mendicantes plenam invicem habent Communicationem Privilegiorum.
- 56. Nostra Minorum Religio in specie tam cum Mendicantibus, quam non Mendicantibus plenissimam habet Communicationem Privilegiorum: probatur ex variis Bullis.
- 57. Præsertim Clementis VIII.
- 58. Et ex aliis, Remissivè.
- 59. Quomodo intelligenda sit hæc Communicatio?
- 60. Privilegium uni personæ privatæ concessum non transit ad alios.
- 61. Neque Privilegium concessum Ecclesiis ad certum tempus, v. g. septennium.
- 62. Neque concessum ob speciale rationem, uti est concessum loco miraculoso, Indulgentiæ Portiuncule, Indulgentiæ Altaris privilegiati.
- 63. Ponitur questio, & ratio dubitandi, utrum ceteri Mendicantes communicent cum Privilegiis Societatis JESU.
- 64. Resolvitur Affirmativè, etiam quoad illa Privilegia, quæ habent cum clausula, ne alii eis per Communicationem gaudeant.
- 65. Quia Pontifices successores absolute concesserunt Communicationem: & qui?
- 66. Religiosi Mendicantes non communicant cum aliis in penalibus, & odiosis.
- 67. Doctrina practica ad propositum: Et n. seq.
- 69. Cessante ex aliqua ratione, vel Privilegio apud eum, cui primitivè concessum est, non cessat apud Communicantem.
- 70. An, & quomodo Communicantes Privilegiis aliorum, possint illis contra hos uti? & duobus seqq.
- 71. Privilegiatus contra Privilegiatum non utitur Privilegio suo. Jus Can. Tom. V.

vilegio, quomodo intelligendum? & n. seq.

Queritur I. Quid sit? & quomodo fiat Communicatio Privilegiorum? Resp. I. Communicatio, & communicare à ly communis derivatum, idem esse, ac communem facere, & conferre alicui, quod prius alteri jam fuerat concessum, ita ut Communicatio Privilegiorum consistat in participatione, & concessione quâdam Privilegii; quia Superior Privilegium, quod uni simpliciter concesserat, etiam ad alterum extendit. Sic c. 2. h. t. in 6. Studio Generali Romani viginti communicantur Privilegia, aliorum studiorum Generalium.

Resp. II. Communicatio Privilegiorum dupliciter fieri potest, videlicet vel absolute, plene & perfecte, vel imperfectè, & relativè. Primo modo fieri dicitur, dum Privilegium, quod prius uni Communitati, aut personæ fuerat concessum, alteri absolute, plene, ac illimitatè ita conceditur, ut illa persona, cui fit Communicatio de se, & per se independentè ab alio frui possit Privilegio, ac si ei prius specialiter esset concessum. Altero modo illis fit, quibus non propter se, sed ob connexionem, quam habent cum aliis, communicatur Privilegium; ut Medicis, Familiaribus, Advocatis certarum Religionum. Donatus Tom. 1. tr. 7. q. 1. cum communi Doctorem.

Queritur II. An, & qui Ordines, ac qualem habeant Communicationem Privilegiorum? Resp. I. Ordines mendicantes omnes habent inter se absolutam, perfectam, & plenissimam Communicationem Privilegiorum, prout omnes Doctores hac de re scribentes unanimiter doceant, atque ex variis constitutionibus Pontificis præsertim Julii II. Leonis X. & Pii V. manifestè patet.

Et quidem pro Ordine FF. Minorum notanda amplissima concessio Clementis VII. per Bullam, quæ incipit: Dum fructus uberes, & referunt circa finem Compendii Privilegiorum, in qua Pontifex motu proprio, & ex certa scientia, omnia & singula Privilegia, Immunitates, Exemptiones, Indultia, Indulgentias, peccatorum remissiones & gratias, dicto Minorum, & S. Clara, ac Terio de Penitentia nuncupato, Ordinibus, illorumque personis, locisque concessa &c. approbat, & innovat: eisque omnia & singula Privilegia, concessionem, Indulgentias, & gratias &c. quibusvis Ordinum mendicantium, vel non mendicantium Congregationibus quomodolibet concessa, & concedenda, suis professionibus Regularis Observantia non contraria, communicat in omnibus, & per omnia, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent. Ita citata Bulla Clementis VII. B. Pii V. Gregorii XII. Sixti V. & aliorum Pontificum, ut notat Herincx disp. 4. de Legibus quest. 6. n. 71.

His adde Constitutionem Clementis VIII. Ratio pastoralis 1597. editam, & habetur in Bullario Romano Tom. 3. Constit. 51. dicti Pontificis, quæ plurimum notanda est, ac sonat, ut sequitur.

Clemens Papa VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio Pastoralis Officii nostri exigit, atque efflagitat, ut quorum Religionem, ac virtutem Sedi Apostolicæ, totique Ecclesiæ non modo illustrem, & præclaram, sed utilem etiam ac necessariam esse animadvertimus, eosdem nostris, & ejusdem Sedis Apostolicæ honoribus, & beneficiis libenter prosequamur. Cum verò ex bonis, & commodis spiritualibus Ord. Mendicantium, ea longè, lateque pateant, semperque patuerint, quæ à sacro Ordine Fratrum Minorum de Observantia, ab ipsis fundatè Religiosis initiis in

quam ad superiores Ordines ascendant, omnino exspectandam, eoque in eorundem Ordinum sanctionibus, chorique officijs plenè instructos, & denique super eorundem vita, moribus, etate, & natalibus, ad Parochi inquisitionem, aut aliàs testimonium & certa alia requisita habenda esse contendunt, quamvis ad eorundem Ordines suscipiendos numeris alioquin omnibus idonei dimittantur.

§. III. Nos his incommodis, quantum in nobis est, occurrere volentes omnibus Episcopis, & aliis Antistitibus, presentibus & futuris in perpetuum precipimus, atque interdiciamus, ne ab huiusmodi promovendis, qui licentiam à Preposito Generali dicte Societatis pro tempore existente, vel ab eo delegatis habuerint, quiaquam prædictorum requirant, vel exigant, sed ipsos etiam absque ulla functione in Ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officijs, ceremoniis Ecclesiasticis, idoneitate. proprii Ordinarium licentiam, aut aliis in aliis requisitis ad minores, ac etiam extra tempora à Jure statuta, tribusque Dominicis, vel aliis festis diebus etiam continuis ad sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promovendos, ac si omnibus requisitis prædictis essent. Nos enim illis Ordines omnes prædictos suscipiendi, ac prædictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus. Tandem subiunxit sequentem clausulam: Presentis autem gratiæ Communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participavit, participareque poterunt, quomodo libet in futurum fieri prohibemus. Quibus non obstantibus

64 Resp Ordines Mendicantes præfatam, & plenam habent Communicationem omnium privilegiorum Societati JESU concessorum, non tantum illorum, quæ sine, sed etiam cum allegata, aut simili clausula ei concessa fuere, & in specie etiam Privilegiorum à Gregorio XIII. concessorum juxta tenorem n. præced. allegatorum circa Ordines recipiendos. Dana p. 3. tr. 2. Resolut. 81. Roderiquez Tom. 99. Regular. q. 55. art. 7 de hoc puncto fufius differens. Herincx Disp. 4. de Legib. q. 6 n. 76. Donatus p. 1. Tom. 1. tr. 7. q. 8. Miranda in Manual. Prælat. Tom 2. q. 46. art. 5. Conclus. 2. Ratio est; quia subseqentes Pontifices de novo absque dictis limitationibus plenissimam concesserunt Mendicantibus, & confirmaverunt Communicationem Privilegiorum, quorum Pontificum potestati derogare non statuit ullus Antecessor juxta unanimem; cum non habeat par in parem imperium, c. Exiit. §. Cæterum, de Verborum significatione, & alibi.

65 Quod aut Succesores sine dictis limitationibus concesserint, patet ex variis eorum Bullis allegatis Lib. I. Tit. XI. nu. 51. Quibus accedunt Clementis VIII. utpote qui per Bullam supra num. 57. allegatam pro Ordine nostro de novo concessit, innovavit, & confirmavit omnia & singula Privilegia quibuscunque, & quomodocunque concessa, non obstantibus quibusvis Clausulis irritativis, annullativis, cassativis, etiam Privilegiorum eorum revocativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatorum derogativis &c. prout amplius videre est in citata Bulla §. 5. Item Gregorius XIV. qui Cisterciensibus, & Cruciferis præter cuncta alia Privilegia etiam in specie concessit Privilegia Societatis JESU, per Constitutionem, Illius, qui, quæ est 17. in Tom. II. Bullar. Cæteris. cum quibus Cisterciensium Privilegiis cæteros Mendicantes, præsertim verò Fratres Minores communicare, patet ex pluribus supra allegatis Bullis, præcipue verò Clementis VIII. supra num. 57. allegata: ut proin prorsus nullum dubium superfit, quin cæteri Mendicantes, præ-

sertim Fratres Minores gaudeant quoque Privilegiis Societatis JESU, etiam cum Clausula. 93. allegata concessis.

Quæritur III. An Religiosi communicantes in Privilegiis, etiam communicent in penis, & prohibitionibus alterius Ordinis? Resp. cum communi Doctorum negativè, ut habet novissima Regula Juris in 6. Odià restringi, & favores convenit ampliari. Unde

Inferes primò. Si in una Religione lata sit Excommunicatio Papalis contra Subornatores, hanc non extendi ad alias Religiones. Ita Herincx num. 81. post Portel.

Inferes secundo cum Diana loc. cit. quòd quando Pontifices concesserunt Privilegia Societati JESU tali modo, ut Subditi ejus non communicent illis, nisi concedatur ipsis à suo Generali, hæc limitatio non liget alios Regulares, sed inconsulto suo Generali gaudeant talibus Privilegiis, prout omnes concedunt. Secùs dicendum, si ipsimet Privilegiis adderentur quedam restrictiones ad coarctandum eorum favorem; hæc enim limitationes procul dubio communicantur aliis Ordinibus, cum non communicent maiorem favorem, quam sit datus à principali concessione. Ita Herincx n. 28. & seqq. id exemplificans. Ratio disparitatis est; quia hic additur restrictio potius ad subveniendum incommodis specialis instituti Societatis, sicque ad exhibendum ipsi specialem favorem per talem limitationem.

Quæritur IV. Quid Juris, si Privilegium alteri communicatum, penes primum Privilegiatum restringatur, vel usa contrario penitus aboleatur? Resp. cum Engel h. t. n. 11. Antonio à Spiritu S. n. 51. & aliis passim, id non nocere secundo Privilegiato per communicationem. Ratio est; quia huius privilegium dependet quidem à priore in productione, non verò in conservatione; statim enim ut Privilegia concessa sunt uni v. g. Religiosi, propria etiam alterius Religiosis habentibus Communicationem cum illa, effusa sunt, neque etiam vitalis Communicationis communicatur alteri Religiosi usus, vel abusus talis privilegii (hoc enim est odiosum) sed jus eò utendi. Unde quanvis primus Ordo, cui tale Privilegium prinò concessum est, illud per non usum vel renovationem amiserit, adhuc secunda Religio, cui fuit communicatum, potest illo uti, cum eidem jus jam fuerit acquisitum. Intellige, dummodò ante Communicationem Privilegiorum alteri Religiosi factam, Privilegium penes primum Ordinem necdum cessaverit. Siquidem in Communicatione Privilegiorum semper intelligitur, licet non exprimat (frequenter tamen exprimitur) clausula illa, dummodò privilegia adhuc sint in usu: nam alioquin, quòd non amplius esset, neque communicari posset.

Quæritur IV. An Religiosi Communicantes in Privilegiis possint his uti in iudicio contra eorundem Religiosos, quibus ea primis fuerunt concessa? Resp. affirmativè, dummodò Religiosi Communicantes sint rei, vel agent de damno vitando. Ita Antonius à Spiritu S. loc. cit. n. 59. & alii communiter, paucis exceptis. Siquidem facta semel Privilegiorum Communicatione quælibet Religio æqualiter, & independentè ab alia participat illa Privilegia.

Nec obstat illud commune Dictum Juris consultorum, Privilegiatus contra privilegium non utitur privilegio, sed Jure communi, arg. l. privilegia ff. de privileg. Credit. ibi: privilegia non ex tempore estimantur, sed ex causa: & si ejusdem tituli fuerint, concurrunt. Resp. enim cum Engel in de integrum restituit, in 6. id verum esse, quando utrius-

utriusque par est causa, ut patet ex citato textu Juris: Secùs autem est, si unus certet de lucro captando, & alier de damno vitando: tunc enim is, qui indemnitate caput, merito prævalere debet alteri, qui ex re aliena lucrum quaerit. Idem dic de eo, qui est reus, & pulsatur in iudicio: nam favorabiliores Rei potius quam Actoris habentur l. favorabiliores ff. de Reg. Jur. Concordat, atque utramque partem probat textus in l. Verum §. ff. de Minorib. ubi Summarium sic loquitur: Si sint duo privilegiati pari privilegio, præsertur ille, qui certat de damno vitando: sed si uterque certet de hoc, est potior causa Rei: sed si sint privilegiati dispari privilegio, privilegium potentioris præponitur. Hæc Summarium.

72 Alii sub aliis terminis respondent, dicendo, dictum Axioma habere locum, quando ex parte utriusque concurrat Privilegium; id est, quando sunt in casu, quo utriusque Privilegium valet: Secùs autem esse dicunt, quando unus est privilegiatus tantum in genere, alter autem specialiter in casu, de quo agitur: tunc enim Privilegium speciale præsertur generali: Sic fit, quando una Ecclesia præscribit contra aliam Ecclesiam: nam Ecclesia præscribens solum est privilegiata in genere, cum non habeat Privilegium, ut possit contra aliam Ecclesiam præscribere minori tempore, quam 40. annis; altera verò Ecclesia est privilegiata in specie, ac in ista causa, ut contra eam non possit præscribi minori tempore, quam 40. annis, unde nec prævalet.

§. IV.

De Innovatione, Confirmatione, & usu Privilegiorum.

SUMMARIUM

- 73 Confirmatio, & Innovatio Privilegii quid?
- 74 Dividitur in commanem, seu ordinariam.
- 75 Et specialem, seu ex certa scientia.
- 76 Sumi possunt materialiter, vel formaliter.
- 77 Confirmatio ordinaria, seu in forma communi, nullum jus novum tribuit.
- 78 Bene verò Confirmatio specialis, seu ex certa scientia.
- 79 Objicitur Decretum Congregationis.
- 80 Et respondetur ad illud.
- 81 A casibus Bullæ Cæteræ, & Episcopo reservatis non possunt absolvi Regulares vi privilegiorum.
- 82 Unde cognoscatur Confirmationem esse specialem, seu ex certa scientia?
- 83 Plurimum Regularium præsertim Mendicantium Privilegia de facto sum confirmata.
- 84 Non tantum in forma communi, sed etiam ex certa scientia.
- 85 Et quidem Privilegia Ordinis nostri amplissimè sunt confirmata per Bullam specialem Gregorii XIII.
- 86 Ibid.
- 87 Item per Bullam specialem Clementis VIII.
- 88 Item per Bullam specialem Pauli V.
- 89 Quæ sicut & aliæ confirmatorie Bullæ, una cum Privilegiis nostris novissimè iterum confirmatæ fuere ab Innocentio XI.
- 90 Colligitur, Privilegia nostra etiamnum plenè valere, quibusdam exceptis.
- 91 Quomodo sint intelligendæ clausula Confirmationi apponi solita: quatenus sunt in usu, quæ non sunt revocata: item quæ sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, non adverfantur Remissivè.
- 92 Dum Privilegia sæpius confirmantur, & in una

Bulla confirmatoria quedam omittuntur, quæ in alia ponuntur, non censentur esse revocata, quæ fuere omnia.

90 Doctrina præctica ad propositum.

91 Etiam aliorum Ordinum Privilegia specialiter sunt confirmata: referuntur aliæ Confirmationes.

Ordines Mendicantes gaudent invicem favoribus, qui uni ex illis, vel etiam aliis Ordinibus per Confirmationem ex certa scientia conferantur.

Quæritur I. Quid, & quotuplex sit Confirmatio, seu Innovatio Privilegiorum? Resp. I. Confirmatio, seu Innovatio Privilegiorum aliud non est, quam corroboratio privilegii legitime jam habiti. Patet definitio ex terminis, atque ex dictis supra Lib. II. Tit. XXX. de Confirmat. utilis, vel inutili.

Resp. II. Confirmatio est duplex, una videlicet in forma communi, seu ordinariâ, alia in forma speciali, seu ex certa scientia. Confirmatio in forma communi, seu ordinariâ est, quæ jus sui privilegii, prout hæc & nunc reperitur, corroboratur, seu confirmatur relinquendo illud in suo statu, si ve dein validum sit, si ve invalidum: quoniam Confirmatio in forma communi nullum jus novum tribuit, nec invalidum aliquid revalidat, prout amplius dictum, & approbatum habetur cit. Lib. II. Tit. XXX. de Confirmat. utilis, à n. 4.

Confirmatio specialis, seu ex certa scientia est, quando legitimus Superior perpescit totius rei naturâ, & consideratis considerandis circumstantiis Privilegium corroborat: quod faciendo non tantum Privilegium etiamnum validum corroborat, sed insuper revalidat, si ex quacunque causa cessasset revocatum, aut aliàs invalidum redditum fuisset, prout patet ex primùm præced. cit. loc. à num. 4. & num. 28.

Quæritur II. Quid operetur Confirmatio, vel Innovatio Privilegii? præsertim an Jus novum tribuat? Ante responsonem notandum, non esse hæc questionem de Innovatione præcisè materiali, quæ Instrumenti Privilegii deperditâ, vel corrota, vel vetustate corrupta, aut non amplius legibilia redditâ, de novo describuntur, aut aliter innovantur; (hæc enim Innovatione nullum jus novum tribuit, certum est) sed de Confirmatione formali, quæ confirmatur, & innovatur ipsa concessio Privilegii à Papa, vel Principe facta H. N.

Resp. I. Si Confirmatio Privilegii fit in forma communi, nullum jus tribuit Privilegiato, sed relinquit Privilegium in suo statu, quo reperit, adeò ut si etiamnum validum existat, illud quidem corroboret, minimè tamen revalidet; si autem initio invalidum, aut postea revocatum fuisset, aut alia de causa valere cessasset. Communis & certa, patetque ex dictis cit. Lib. II. Tit. XXX. de Confirmat. utilis vel inutili à nu. 4. ubi num. 6. ostenditur, huiusmodi Confirmationem tamen non esse inutilem.

Resp. II. Si Confirmatio Privilegii fit in forma speciali, seu ex certa scientia verum jus novum tribuit, ut non tantum valida corroboret sed insuper revalidet, & de novo concedat Privilegia, quæ per non usum, vel usum contrarium amissa, vel à Jure communi, vel ab homine, & per Constitutionem in Corpore Juris communis non clausam revocata fuere. Donatus p. 1. tr. 11. q. 4. & 7. Roderiquez Tom. 1. q. 9. art. 6. Ratio est; quia Confirmatio ex certa scientia æquivalet novæ concessioni, ac supplet omnes defectus, qui suppleri possunt, ac solent, & estque in re & effectu

nova concessio, prout amplius dictum & probatum est lib. II. Tit. XXX. de Confirmat. utili; & inutili. Et late dedact Barbosa de Clausulis frequentibus, Clausula ex certa scientia. Hinc Pontifices, quando de facto confirmant Privilegia, caute apponere solent Clausulas infra allegandas, ne per suas Confirmationes in forma speciali, seu ex certa scientia datas indifferenter derogent Constitutionibus Antecessorum, aut Decretis Concilii Tridentini.

79 Nec obstat Decretum Congregationis 1623. 17. Novemb. editum, & ab Urbano VIII. approbatum sequentis tenoris.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consulationibus Episcoporum, & Regularium preposita censuit, per confirmationem Privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse Privilegia, prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata atque extincta, si que habebant, absolventi a casibus Ordinario loci reservatis, quemadmodum nec indulta absolventi a casibus contentis in Bulla que in Canone die Domini legi consuevit, ut puta, sublata per annum ipsius Bullae publicationem, vires aut robur acquisivisse ex subsequentibus Privilegiorum confirmationibus; ac proinde Regulares cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam necessarii exprimentis, nec intra nec extra Italiam in vim Privilegiorum, aut confirmationem ejusmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Canonis, aut Ordinario loci reservatis: ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas esse fuisse, ac fore. Ab aliis vero casibus & censuris Sedis Apostolicæ reservatis; si quidem Regulares habent a Sede Apostolica facultatem absolventi illam extra Italiam minime sublata fuisse, ipsidem Sacre Congregationis Decretis hac de re editis, jussu sanctæ Mem. Clementis VIII. ita habetur in Libello intitulo Bullæ & Decreta recentiora. fol. 199.

80 Resp. enim, hoc Decretum vel intelligendum esse de Confirmatione in forma communi, prout post Merolum Tom. 3. de Privileg. cap. 5. de Confirmat. num. 61. vult Donatus loc. cit. n. 13. aut intelligendum esse de solis casibus Episcopalis & contentis in Bulla Canonis, utpote de quibus solis loquitur præfatum Decretum, & quos ex speciali ratione semper respectivè reservatos esse vult sancta Sedes.

81 Queritur III. Unde cognoscatur Confirmationem esse in forma speciali seu ex certa scientia. Resp. Ad hanc quaestionem jam patere ex dictis Lib. III. Tit. XXX. n. 8. ubi vide.

82 Queritur IV. An de facto, & qualiter confirmata sint Privilegia Regularium? Resp. I. Certum ac indubitatum est apud omnes, Regularium præsertim Mendicantium Privilegia de facto reverè pluries esse confirmata; quia Confirmatorie præfatorum Privilegiorum Bullæ authentica passim habentur, quarum infra aliquas allegabimus.

83 Resp. II. Mendicantium Privilegia præsertim nostri Ordinis non tantum in forma communi, sed etiam in speciali, & ex certa scientia sæpius confirmata existunt. Patet Conclusio rursus ex diversis Confirmatoriis Bullis authenticis. Et quidem pro Ordine nostro constat ex Bulla Gregorii XIII. Ex benigna, cujus Copia authentica Frisingæ apud nos in Archivio habetur sequentis tenoris.

Gregorius Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex benigna Sedis Apostolicæ provisione provenire dignum est, ut persona Deo devota sub Regulari castimonio Domino militans piâ devotione proficiant, unde Romanus Pontifex quandoque per Prædecessores suos pro Religionis conservatione, & augmento, ac personarum earundem quiete, & commodo concessa approbat, & innovat, ac approbata & innovata Apostolica auctoritate communit. Sanè pro parte dilecti filii Christophori de capite fontium moderni Generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorum de Observantia Nobis nuper expositum fuit, quod cum inter Operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth missi sunt, Dei gratia Ordo ipse Fratrum Minorum magnos probitatis, & doctrine, ac animarum salutis fructus semper olim attulerit, & quotidie afferre conetur, & exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum ab Apostolica Sede, cujus continud pacem, & dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est, tam spiritualia, quam temporalia subsidia, Ornamentaque accepit, & accipiat, quibus & sua sancta Officia, ac vitam suam Regularem facilius, atque magis expedite transigere possint, & ceteræ Religiosæ personæ, Ordinesque alii exemplo ipsorum promptionis, alacriorumque ad sua Officia persolvenda reddantur, cumque etiam ex ipsius Sedis provisione, ac benignâ dignatione provenire dignoscatur, ut Romanus Pontifex quandoque prædecessorum suorum Romanorum Pontificum gestis innovet, ac Apostolicâ auctoritate innovata, & restaurata muniat, & fulciant, ac in pristinum statum reponat, ac reducat, nec non propterea nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, ac omnia & singula privilegia, & indulta tam spiritualia, quam temporalia etiam per solam Signaturam, aut per Oracula vive vocis tam pro foro conscientie, quam pro foro fori tam prædictis Fratrum Minorum, quam sanctæ Clare, ac tertio de penitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Superioribus Fratribus, Monialibus, & Sororibus, ac utriusque sexus personis, & Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis quibuscunque dictorum Ordinum nunc, & pro tempore existentibus in genere vel in specie, etiam per modum communicationis, sive extensionis privilegiorum inter se, ac etiam cum aliis quibuscunque Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus concesserunt, aut jam concessa confirmarunt, & approbarunt, prout in singulis concessionibus, & literis eorundem Prædecessorum defuper concessis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expressivo subjungebat, illa, que sæpius Apostolicâ auctoritate præjata munia existunt, majorem obtineant roboris firmitatem, dictusque Christophorus Minister Generalis cupiat privilegia, facultates, concessiones, indulta, dispensationes, & singulas alias gratias hujusmodi etiam per Nos approbari, innovari, & confirmari pro parte Christophori Nobis sui humiliter supplicatum, ut eisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, & indultis pro illorum observantia nostre approbationis robur adijcere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolicâ dignemur. Nos igitur qui omnium votis præsertim illis, quibus sub juveni Religionis jugo divinis

lau.

laudibus, & Christianæ Religionis augmento incrementum personarum tranquillitati, & commoditati consulitur, libenter annuimus, easque favoribus prosequimur opportunit, hujusmodi supplicationibus inclinat, præmissis ac omnia, & singula alia Privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, Indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum Communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, eisdem Fratrum Minorum Regularis Observantia, ac sanctæ Clare, & tertio de penitentia etiam in congregatione sub trium votorum substantiatum professione, & eorundem Superiorum Ordinis Minorum regularis Observantia hujusmodi obedientia degentibus, ipsorumque Superiorum Fratribus, Maternalibus, & Sororibus, nec non Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis quibuscunque, in genere, & in specie, etiam per solam Signaturam, etiam vive vocis oraculo, ut præferat, aut aliis tam per præfatos, ac quoscunque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, quim Imperatores, Reges, & alios Principes sub quacunque forma, & expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus singulas desuper concessas litteras, & in eis contenta, & inde secuta quæcunque, illorum omnium tenores, & formas datas, effectus, & decreta in illis opposita, ac si de verbo ad verbum infererentur, presentibus pro sufficienter expressis habentes dictâ auctoritate Apostolicâ tenore presentium ex certa nostra scientia, ac de Apostolica potestate plenitudine, quatenus sint in usu, & sacris Canonibus, & decretis sacri Concilii Tridentini non adversentur, approbamus, & confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, & firmiter observari, nec non Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Observantia, & sanctæ Clare, ac tertio de penitentia nuncupato etiam in Congregatione sub Obedientia Fratrum Minorum de Observantia hujusmodi degentibus, Superioribus, Fratribus, Monialibus etiam Tertiariis nuncupatis, Sororibus, personis, Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & locis præfatis, etiam per modum communicationis, & extensionis hujusmodi suffragari, illisque frui, uti, & gaudere, quando & quoties opus fuerit, posse, & debere in iudicio & extra, ac etiam in foro conscientie in omnibus, & per omnia, perinde ac si specialiter, & expressè eisdem Fratrum Minorum, ac S. Clare, & tertio de penitentia nuncupato Ordinibus concessa fuissent, decernimus, suppletes omnes & singulos juris & facti, ac solemnitatum, etiam de juris necessitate, aut aliâs quomodolibet requisitarum forsitan omittarum, & alios quoscunque defectus, si forsitan intervenerint in eisdem. Quocirca Venerabilibus Fratribus Cordubæ, & Ledon. Episcopis, ac dilecto filio Curie causarum Camere Apostolicæ generali Auditori per easdem presentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum pro se, vel per alium, seu alios faciant auctoritate, nostras presentes litteras, & in eis contenta quæcunque plenim eorum effectum sortiri, illasque omnes, quos concernunt pacificè frui, & gaudere. Nos permittemes, quatenus desuper per quoscunque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per quoscunque, de quibus eis videbitur, censuras, & penas Ecclesiasticas, ac alia opportuna juris remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimum super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus super cathedram, Bonifacii, & dudum Viennens. Concilii, ac Clementinæ, Religiosis de privilegiis, & dudum de Sepulturis, ac etiam ex frequentioribus de sententia excommunicationis, ac extravagantibus. Ad conditorem, Joannis vigesimi secundi, cum aliis constitutionibus eandem prædictæ materiam extravagant. tangentibus, seu concernentibus, ac regulis Cancellariæ Apostolicæ editis, & in futurum edendis, ac pie memorie Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali de duabus diebus editis, dummodò non ultra tres dietas aliquis presentium vigore ad iudicium extrahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus, ac provincialibus, capitularibus, generalibus, & specialibus constitutionibus, & ordinationibus, etiam in ultimo generali, Lateranensi Concilio celebrato, aliisque Conciliis editis, nec non statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, & privilegiis quoque indutis, & litteris Apostolicis etiam in forma Brevis per Leonem decimum, Clementem septimum, Paulum tertium, Julium etiam tertium, Paulum quartum, Pium etiam quartum prædictis, ac etiam Pium quintum, & quoscunque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem eandem etiam Motu proprio, ac scientia, & potestate plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, etiam privilegiorum eorundem revocativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quevis alia expressio habenda, aut aliqua alii exposita forma ad hoc servanda foret, etiam quòd in eis caveatur expressè, quòd illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari possint tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inferri forent, presentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis etiam in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus: ac si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem ceterisque contrariis quibuscunque. Verùm quia difficile foret presentes litteras, ad singula queque loca, in quibus fortè opus esset, deferri, volumus, & pariter Apostolicâ auctoritate decernimus, quòd illarum transumptis manu notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus persone in dignitate Ecclesiastica constituta, seu Curie Ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris Die XX. Maji M. D. L. XXV. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Item ex Bulla Clementis VIII. supra per exten 84. sum allegata, que etiam habetur in Bullario loco ibidem citato: Siquidem in præfata Bulla Papa expressè ex certa scientia confirmat omnia & singula Privilegia nostra five directè, five indirectè per Communicationem, vel aliâ ratione nobis concessa, aut obtenta, in omnibus, in quibus Decretis Concilii Tridentini non adversantur; uti videre est in citata nobis summè favorabili, lectoque digna Bulla Clementis VIII. §. 3. que clausula

ex

ex certa scientia etiam habetur in bulla Gregorii X. uti legenti patet. Item ex Bulla Pauli V. Injuncti nobis &c. 1607. 19. Julii edita, cujus copia pariter plenè authentica in præfato nostro Archivio Frisingensi habetur sequentis tenoris.

Paulus Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Injuncti nobis Apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum Religionum in militante Ecclesia suaves in Domino fructus assidue præstantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus nostris, & Apostolica Sede concessa, quo validius perpetuo subsistant, Apostolica Confirmationis robore libenter communicemus. Volentes igitur universum Ordinem Fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia, ex quo uberissimi in eadem Ecclesia fructus ad ipsius Omnipotentis Dei laudem, & Christiane Reipublice spirituali commodum, & utilitatem ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, & in dies procedunt, ac ipsius Ordinis Ministrum Generalem, Superiores, & Fratres specialibus favoribus, & gratis præsequi, ac eorum universos ac singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliusque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa laiti, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore consentes; Supplicationibus pro parte dilecti filii Archangeli de Messana totius Ordinis hujusmodi Ministri Generalis Nobis humiliter porrectis inclinati, omnia & singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, concessiones, gratias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se & cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium eidem Ordini Minorum sancti Francisci de Observantia, ejusque Ministro Generali, Superioribus, ac Fratribus, & Sororibus, aliisque Religiosis utriusque sexus, eorumque Domibus, Monasteriis, Ecclesiis, & locis Regularibus quibuscumque per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem sub quacunque verborum forma & expressione, in genere, vel in specie, aut aliis quomodolibet concessa, ac pluries confirmata, & innovata, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus, ac singulas litteras tam sub plumbo, quam in forma Brevis, aut alias desuper concessas, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, quatenus sint in usu, & non sint revocata seu sub aliquibus revocationibus comprehensa, & sacris Canonibus & Concilii Tridentini decretis & Constitutionibus Apostolicis, & Ecclesiasticis libertatis in aliquo non adveniant, ex certa nostra scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac illis perpetua, ac inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjuvamus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Quocirca Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, nec non dilecto Filio causarum Curie Camerae Apostolicæ Generali Auditore per præsentem committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum per se, vel alium, vel alios ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Ministri Generalis, Superiorum,

& Fratrum prædictorum pro tempore existentium, aut alicujus eorum fuerit requisitus, præsentibus litteras, & in eis contenta quæcumque solemniter publicans, ejusque & eorum cuiuslibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra illos, & quemlibet illorum præmissorum omnium, & singulorum effectu pacifice frui & gaudere; Non permittat eos, & eorum quemlibet desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari; Contradiutores quoscumque, eis auxiliium, consilium, vel favorem publicè vel occultè, directè vel indirectè quomodolibet præstantes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliæque opportuna iuris & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac ejusdem Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hinc vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhibetur, si forent exhibita, vel ostense. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub anno Piscatoris, Die XIX. Julii M. D. C. VII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Similis Confirmatio etiam habetur ab Urbano VIII. In plenitudine, quæ & aliæ Confirmatoria Bullæ Privilegiorum nostrorum de novo confirmata fuere ab Innocentio XI. in Bulla Exponi nobis &c. edita 5. Septembris 1686. cujus quoque authenticam Copiam Romæ communicatam habemus; ubi præmissis solitis præmittendis ad propositum ita loquitur Pontifex: De venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesie Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium, præpositorum consilio, & attentâ relatione, quam Venerabilis etiam Frater noster Alteranus Episcopus Portuensis ejusdem S. Romanæ Ecclesie Cardinalis Cibo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector eidem Cardinalibus super præmissis fecit prædictas Clementis VIII. quæ incipiunt, Ratio Pastoralis, ac Pauli V. quarum initium, Injuncti nobis, Urbani VIII. Prædecessorum, quæ incipiunt, In plenitudine &c. aliorumque Romanorum Pontificum Successorum litteras, super præmissis privilegiis resp. Civè emanatas, dummodò tamen sint in usu, nec sint revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa, sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, & posterioribus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, Regularibusque Ordinis prædicti institutis non adveniantur auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, &c.

Ex quibus colliges, Privilegia nostra cuncta etiam per Communicationem cum aliis tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus, vel aliâ ratione nobis competentia omninò adhuc valere, & firma subsistere, solis exceptis illis, quæ à constitutionibus Apostolicis post allegatas Bullas emanatis expresse fuere revocata, & quæ sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Regularibus Ordinis nostri institutis adveniantur. Sed occasione hujus

Quæ-

- 88 Quæritur V. Quomodò intelligendæ sint primùm allegatæ præfatis Constitutionibus insertæ, & reliquis Bullis confirmatoriis hoc tempore inserti solitæ Clausulæ, videlicet, Quatenus, vel dummodò sint in usu, nec sint revocata, sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis &c. non adveniant? Resp. Ad hoc quæsitum patere ex dicendis §. seq. n. 108. & seqq.
- 89 Intererè circa Confirmationes Privilegiorum notandum, quod, si in una confirmatoria Bulla minus quàm in alia notatur, & aliqua Privilegia aut favores in una Bulla omittantur, & expresse non confirmantur, per hoc illa omissa non censentur revocata, sed relinquuntur in suo vigore, quem hic & nunc habent, consequenter plenè valeant, si à posteriore constitutione aliqua revocata non sunt, aut Canonibus & Decretis Concilii Tridentini nec adveniantur; quia per Bullas confirmatorias nec intendit, nec solet Papa aliqua Privilegia revocare, nisi id exprimat, uti factentur omnes.
- 90 Hinc colliges Privilegia & favores in Bulla Gregorii XIII. n. 83. allegatæ expresse positos, & in Bulla Clementis VIII. vel Pauli V. n. 84. & 85. per extensum adductos omisos, aut in his Bullis positos, & in aliis omisos plenè valere, nisi revocatio posterior, vel clausula aliqua revocatoria obstat.
- 91 Præter speciales Bullas Confirmatorias Privilegiorum Ordinis nostri, etiam aliarum Religionum Privilegia specialiter existent confirmata: sic enim inter alios Clemens VIII. amplissimè confirmavit Privilegia PP. Dominicanorum per Bullam, quæ incipit, Injuncti nobis &c. & habetur per extensum apud Donatum p. 1. tr. 11. q. 8.
- Privilegia Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum confirmavit Urbanus VIII. per Bullam In supremo, quam habes Tom. V. Bul-larum Cherubin.
- Cisterciensium Privilegia confirmavit Innocentius X. per Bullam Exponi nobis, quæ habetur cit. Tom. V. Constitut. 54. & sic de aliis Ordinibus præsertim Mendicantibus, qui favoribus invicem gaudent, si qui uni ex illis, vel aliis O. dinibus per Confirmationes ex certa scientia conferuntur, intellige, dummodò Ordo participare volens habeat Indultum communicandi cum aliorum Ordinum Privilegiis non tantùm concessis, sed etiam concedendis in futurum, uti habet Ordo noster, & hodie omnes Mendicantes teste Donato p. 1. tr. 11. q. 9.

§. V.

De Extensione, & Interpretatione Privilegiorum.

SUMMARIUM.

- 92 Extensio, & Interpretatio Privilegiorum est duplex.
- 93 Alia Extensio dicitur extensiva, seu Interpretatio per extensionem.
- 94 Alia Comprehensive, seu Interpretatio per comprehensionem.
- 95 Rursus alia Interpretatio est autoritativa, seu definitiva, alia doctrinalis.
- 96 Autoritativa, à solo Authore Privilegii, Doctrinalis verò à privatis Doctores fieri potest.
- Superiores Regulares docti doctrinaliter interpretari valent sua privilegia, quod eis subditi stare queant. Ibid.
- 97 Ubi verba sunt clara, nulla admittitur Interpretatio.

- 98 Privilegium non extenditur de persona ad personam. Et num seq.
- 99 Nisi ex subjecta materia vel tenore privilegii aliud desumatur.
- 100 Vel aliàs privilegium esset inutile.
- 101 Vel communicatio non privilegii cum privilegiato aliud requiratur.
- 102 Vel fiat Interpretatio comprehensiva, seu declaratio privilegii meram gratiam continentis.
- 103 Utrum strictè, vel late interpretari possint, vel debeant privilegia? Remissive.
- 104 In privilegiorum Interpretatione servanda est proprietas verborum.
- 105 Juxta usitatam significationem, vel usum communem, ac secundùm Jus privilegii proportionatum.
- 106 Privilegium merè favorabile salvâ proprietate verbum extendendum, odiosum verò restringendum est.
- 107 In modernis Confirmationibus solent Pontifices apponere, quatenus sunt in usu.
- 108 Quomodò intelligenda sit hæc clausula? quatenus sunt in usu.
- 109 Quæ privilegia, & quando censentur per non usum, vel usum contrarium cessare, vel amitti? Remissive.
- 110 Clausula Quatenus sunt in usu, vel dummodò sunt in usu, ferè nunquam obest privilegii Regularium.
- 111 Limitatur in uno vel altero casu.
- 112 Clausula Quatenus sunt in usu non præjudicat Regularium privilegii dispensandò pro Foro interno super impedimento Affinitatis ex d. l. c. l. c. occulto.
- 113 In clausula, Dummodò sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non adveniantur, per illa verba: dummodò sacris Canonibus non intelliguntur Canones Corpori Juris communis inserti.
- 114 Confirmatur consuetudine.
- 115 Et ratione.
- 116 Per clausulam, Dummodò Decretis Concilii Tridentini non adveniantur à confirmatione eximuntur illa duntaxat privilegia, quæ à Concilio Tridentino expresse sunt revocata.
- 117 Confirmatur per argumenta Remissive. Et num. seq.
- 118 Quomodò intelligenda clausula? Dummodò non sint revocata.

Quæritur I. Quid? & quotuplex sit ad propositum Extensio, & Interpretatio Privilegiorum? Resp. cum Laymano in c. Translato de Constitut. n. 4. & aliis communiter, quod Extensio duplex sit, una propriè dicta, seu comprehensiva. Sive, ut loquitur Fagnanus in c. Quod nonnullis de privilegiis n. 16. & 28. Duplex est Interpretatio una per extensionem, seu extensiva, alia per comprehensionem, seu comprehensiva. Extensio extensiva, seu interpretatio per extensionem est, quando Legis alicujus decisio transferatur ad alium casum, vel personas, non tantùm ultra verba Legis, sed etiam præter mentem Legislatoris, quamvis non contra mentem ejus. Et talis Interpretatio per extensionem in Legibus, ob adequatæ rationis similitudinem, tam intra quàm extra judicium, rectè fieri potest, ac debet; quia de similibus idem est judicium, c. Cum Corporalia de Translat. Episcopi, & amplius declaravimus Lib. I. Tit. II. de Constitut. §. XV. à num. 370. Exemplum pulchrum hujus Extensio-nis propriè dictæ habetur c. Cum dilecta. §. Nos igitur. De confirmat. utili. ubi Papa constitutionem Juris